

- 19 Confessione propria non datur major probatio.
20 Creditori asserenti solutiones cessisse in causam fructuum incumbit onus probandi.
21 Exceptio usurarum in continenti probata impedit viam executivam, & effectum obligationis cameralis.

DECISIO XXVII.

Subjecta iterato Judicantium examini resolutione, qua die 23. Novembris 1722. coram Me dictum fuit constare de credito Marchionis Vincentii Nuñez contra P. Alexandrum Buffium tam pro restitutione fortis Cambii in scutis 1130. 33. quam pro solutione illius fructuum decursum ab anno 1716. in Audientia diei 12. Aprilis superioris anni Domini non fuerunt concordæ; sed hodiè ex novis in facto præsidii à Reo convento cumulatis; Recedendum esse à decisio, responderunt.

Jam hoc jure utimur ex declaratione Sancti Pii V. edita per Constitutionem inter suas in ordine la 118. §. Primum Bullar. nov. tom. 2. ut pro realitate Cambii, & legitima fructuum exactione requiratur transmissio litterarum ad Nundinas, & reditus illarum cum acceptatione Mercatoris, ad quem datæ sunt; adeo ut creditor, qui pro se redintegrando de quantitate mutuata habuit à debitore facultatem capiendi ad cambium in Plateis pecunias damno ejusdem Debitoris, si revera id fecisse non monstrat, teneatur solutiones nomine fructuum receptas imputare in sortem, in cujus causam juris autoritate cesserunt, ac si pro ipsa sorte numeratæ fuissent Bart. in l. Si non sortem numer. 4. ff. de condit. indebit. Rocc. disputat. Jur. cap. 95. numer. 24. & seqq. Ansaldo. de Comm. & Mercat. disc. 66. numer. 18. & 33. Rot. coram Peuting. decis. 356. §. fin. coram Bich. decis. 74. numer. 1. & 2. & decis. 130. numer. 7. & 8. coram Otthobon. decis. 2. numer. 23. Adden. ad Buratt. decis. 532. numer. 8. & in recent. decis. 192. numer. 3. & 4. par. 13. decis. 191. numer. 4. par. 18. Debitor autem, si quid præter sortem persolverit, valeat istud indebiti conditione repetere Noguero. allegat. 10. numer. 124. Surd. decis. 328. num. 3. & seq. Rot. coram Merlin. decis. 409. numer. 27. & 28. coram Dunozet. sen. decis. 276. numer. 6. in Perusina repetitionis Indebiti 4. Februarii 1692. §. Fundamentum coram Priolo, & in Romana Cambii 31. Januarii 1707. sub §. Cum enim coram Rmo P. D. meo Lancetta Decano.

Et idcirco, quoniam pro Cambio præsentis fuerunt titulo fructuum ad annuam rationem scut. 4. pro centenario solutæ tot pecuniæ ab anno 1684. usque ad annum 1716. quæ capitale Cambii excedunt, atque à dicto anno 1684. usque ad annum 1704. non docebatur de transmissio- ne spatiorum ad ferias, non erat amplius locus instantiæ per Marchionem Nuñez propositæ, sed Patri Buffio debet summa ultra sortem Cambii soluta restitui.

Porrò ad asserendam justitiam Cambiorum exactorum, & competentiam crediti, pro quo Marchio Nuñez agit, cum à dicto anno 1684. usque ad annum 1704. litteræ Cambiales non exhiberentur, contendebatur illarum interventum

posse per æquipollens evinci etiam sine materia- li productione litterarum Card. de Luc. de Camb. disc. 7. numer. 5. de quarum verificatione statim, ac laudata Piana Constitutio nihil statuit, cen- setur modum probationis sic omissum reliquisse sub dispositione Juris communis l. Commodissime ff. de lib. & posthum. l. Angel. conf. 110. Mart. de success. de legal. par. 2. quæst. 3. art. 2. per tot. Rot. decis. 323. in fin. par. 15. recent. & coram Ansaldo. decis. 12. numer. 57. & seqq. juxta quod facultas probationum latè patet, nec ad unam, aut aliam speciem probationum restringitur Mas- card. de probat. conclus. 1160. numer. 1. Fax Jordan. lucubr. vol. 3. lib. 14. tit. 17. numer. 74. & seqq. aliique congeiti per Sabell. in verb. probat. num. 2.

At non modo Actor æquipollentem hanc proba- tionem præstare non visus est per conjecturas ad eum effectum allatas, ut è contrario Reus gyrum pecuniarum voluit, ne cambia cen- seantur sicca, perspicuè circa tempus controver- sum excluderet. Et sanè primo loco interventus Nundinalium spatiorum haud concludenter probatus apparuit ex eo ratiocinio; quòd cum an- no 1684. supponendum sit Thomam Bacellium transmisisset litteras per Plateas, utpotè qui se obligavit erga Marchionem Franciscum Nuñez, quòd creditum cambiale ei cellum esset verum, & reale; ac rursus cum anno 1704. & 1705. constet dictum Marchionem Franciscum ad ef- fectivam litterarum expeditionem devenisse, po- sitis hujusmodi extremis temporis antecedentis, & subsequents justificantis transmissionem, præsumi debeat eandem transmissionem habuisse quoque effectum tempore intermedio.

Etenim nec primum extremum, quòd Bacel- lus has litteras miserit benè suadetur ex pro- missione veritatis, & realitatis Cambii cessi, quæ præ se fert quidem obligationem, & poten- tiam transmittendi spatia; sed neutiquam probat, quòd venerit ad actum transmissionis. Et quidquid etiam esset de hoc primo extremo, adhuc secundum demonstratæ transmissionis litte- rarum anno 1704. & 1705. minimè concludit ea- rumdem litterarum transmissionem pro annis antecedentibus ex regula, quòd ad præsumen- dum solitum ex facto hominis non admittitur illatio à præsentis in præteritum Alciat. de præsumpt. reg. 2. præsumpt. 26. numer. 6. Alexand. conf. 5. numer. 23. lib. 1. Antonell. de temp. legal. lib. 1. cap. 78. numer. 15. Bonden. coll. legal. 19. numer. 36. lib. 1. Ansaldo. disc. 89. numer. 15. Rot. coram Millino decis. 149. numer. 7. Immo potius eruitur oppo- situm, eo quia sicut Marchio Franciscus refer- re fecit in libros nummulariæ litteras scriptas anno 1704. & 1705. Ita si in præteritum quoque eæ fuissent transmissæ reperirentur juxta usum, & consuetudinem scribentis in Codicibus huic rei destinatis exaratae l. Si quis donaurus ff. de usufructu, Alexand. conf. 14. numer. 15. lib. 7. Surd. conf. 173. numer. 88. Ansaldo. de Comm. & Mercat. disc. 46. numer. 25. Cas- stald. consult. 136. numer. 9. Rot. coram Buratt. decis. 544. nu. 12. coram Cavaler. decis. 418. nu. 6. & in recent. decis. 305. nu. 18. par. 6. & decis. 249. nu. 11. par. 18.

Similique modo inefficax judicatum est aliud argumentum desumptum à solutione fructuum per Buffios continuata ab anno 1684. usque ad

ad annum 1716. ex quo subdebatur, quòd nisi pro justitia usurarum omnia concurrissent, Buffii destitissent à solutione. Quippe ipsi procedendo bona fide haud fuerunt solliciti in actu solutionum se certiores reddere de adimple- mento transmissionis pecuniarum per Plateas, fructusque numerarunt medianibus mandatis, seu ordinibus directis à Marchione creditore ad eosdem Comites Buffios ad effectum solvendi Horatio Bonellio, allivise in mandato adjectis: quo pacto confectæ solutiones, utpotè referen- dæ ad suppositam litterarum transmissionem ad Nundinas, nullam secum ferunt debitorum agnitionem, & confessionem realitatis Cambiorum Scacc. de Camb. §. 2. glossa 5. numer. 99. Alex- and. conf. 80. numer. 17. lib. 3. Gratian. dis- ceptat. for. cap. 911. numer. 13. Rot. in recent. decis. 301. numer. 27. par. 5. & decis. 74. nu- mer. 37. coram Bich.

Quamquam in subjecta materia, etiam si debi- tores in solutione fructuum admisissent Cambia, & Recambia pro veris, & existentibus; adhuc creditori nullum extindè juvamen oriretur, nam ad evitandum periculum, labemque usurarum, quæ sunt prohibita Exod. cap. 22. Luc. cap. 6. cap. Quia in omnibus cap. Consultuit de usuris, Gloss. in l. 1. verb. Petrum Apostolum Cod. de summa Trinitate Greg. Tholosan. syntagm. jur. lib. 22. cap. 3. numer. 18. Rot. decis. 775. numer. 3. par. 1. & decis. 301. numer. 31. ad 40. par. 5. recent. ea est recepta sententia, ut non deferatur simplicibus assertionibus partium interesse habentium, ne in illorum potestate, & arbitrio sit facere licitum, quòd jure illicitum reputatur Bartol. in l. Si forte num. 4. de Castrensi pecul. Bald. in l. Rogasti §. Si sibi num. 7. ff. si certum petatur §. Bar- bos. Vol. decisivo 63. numer. 7. lib. 2. Rot. dicta decis. 775. numer. 2. par. 1. decis. 392. numer. 5. & 6. par. 16. dec. 191. numer. 8. & 9. par. 18. recent. coram Bich. decis. 74. numer. 25. de- cis. 130. numer. 13. coram Cerr. decis. 163. numer. 12. coram Benincas. decis. 338. num. 7. & in præallegata Romana Pecuniaria §. Nec ad evitan- dam coram Reverendissimo Lancetta Decano.

Proindeque ubi etiam procedendum foret cum opinione insinuata per clar. mem. Card. de Luc. de Camb. dicto disc. 7. numer. 5. ut nempe ad justificationem realitatis Cambiorum, tamen si desit productio spatiorum admittenda sit probatio aliunde per æquipollens, planè eo ipso, quòd insufficientis existimata fuit probatio in hy- pothesi præallegati discursus Card. de Luc. contra quem stetit nostri Sac. Auditorii iudicium in de- cis. 392. par. 16. recent. utcumque in eo casu concurreret præ cæteris confessio debitoris super inspectione, & conservatione spatiorum apud Campforem dicta decis. numer. 5. & 7. & disc. Card. de Luc. in princip. multo minus habenda erit probatio pro æquivalenti in nostra facti spe- cie, in qua deficit ejusmodi debitorum confessio super existentia, & intuitu litterarum l. Nec ex vera Cod. de acquir. possess. Gloss. in cap. Licet universis verb. Multo minus de Testibus, Everard. in topic. legal. loc. à major. numer. 1. Rot. decis. 257. numer. 15. par. 19. & in Mantiss. Card. de Luc. decis. 5. num. 6. lib. 3.

Facilius autem DD. in hunc sensum inclina- runt, quia visum est benè per Informantes pro Reo excludi requisitum gyrum pecuniarum per Nundinas, dum inspectis, & perquisitis ex de- creto Tribunalis Codicibus Rationis Bancariæ Marchionis Nuñez confectis ab anno 1684. usque ad

Decisiones noviss. ad Castellum de Alimentis.

quæ ad annum 1703. nulla comperta est parti- ta litterarum Nundinalium spectans, ac referen- bilis ad Cambium, de quo res est; undè satis tis deprehendi negativam transmissionis spa- tiorum alias respondit Rota decis. 775. numer. 12. 1. in fin. parte 4. divers. coram Bich. decis. 74. numer. 40. & seqq. & in recent. decis. 57. sub numer. 4. parte 1. decis. 69. numer. 38. & decis. 224. numer. 4. parte 9. & post Torr. de Camb. decis. 34. numer. 1. Considerata præsertim, & concurrente in hisce libris pro dicto tempore descriptione litterarum Cambialium pertinentium ad alios Debitores, ex qua circumstantia vali- dius probatio negativa robur assumit, quia sic- uti spatia Nundinalia cernuntur in libris adno- tata pro aliis similibus Debitoribus Cambio- rum, ita omissa planè non fuisset transcriptio illorum pro Cambio inito cum Fratribus Buffiis, quatenus hæc prout alia transmissa fuissent Bar- tol. in l. Titia textores in 2. notabili ff. de legat. 1. Herculan. in tract. de negot. numer. 171. Cur. jun. conf. 106. numer. 14. Alb. conf. 709. numer. 1. & seqq. Bursatt. conf. 138. numer. 48. Cypic. Latr. consult. 649. sub numer. 10. & seqq. Mans. consult. 649. sub numer. 21. & 22. Ansaldo. disc. 46. sub numer. 25. Rot. coram Merlin. decis. 754. numer. 5. & coram Pamphil. decis. 422. nu- mer. 11.

Verum etiam non obscure conicere licebat, quòd anno dumtaxat 1704. Marchio Franciscus Nuñez coeperit hoc Cambium exercere in Pla- teis, statim ac litteræ isto anno ad eum effectum datæ continere agnitæ sunt summam, seu va- lutam scutorum 722. 06. auri Marcharum ad a- mullim respondentem juxta æstimationem tunc temporis forti principali præsentis Cambii scut. 1130. 33. Si enim annis antecedentibus Cre- ditor pecunias gyrasset per Plateas, quantitas Capitalis transmissi fuisset proportionabiliter aucta in Nundinis cujuslibet anni, ut testantur publici Urbis Negotiatores, quorum depositio- ni in re, in qua versantur, rectè fides adhibe- tur Rota decis. 183. numer. 6. & 7. part. 9. de- cis. 491. numer. 9. par. 13. decis. 80. numer. 4. par. 18. rec. & coram Bich. decis. 565. num. 12. coram Emerix jun. decis. 482. num. 7.

Tanto magis quia ita evenisse observabatur de aliis Cambiis in eosdem libris relatis, atque etiam ita successisse de hoc ipso Cambio con- troverso in sequentibus Nundinis anni 1704. alio- rumque annorum successivè decursum, in mo- dum ut istud, quòd anno 1704. incepit pro summa pari forti principali in Marchiis auri 722. 06. tractu temporis adeo excreverit, ut jam ascenderet non 1723. ad scut. 3974. 12. 8. auri Marcharum, quibus sanè libris Actor, pro quo scripti sunt, stare procul dubio tenetur Gen. 16. lib. 4. quæst. 2. de lib. mercat. numer. 1. & seq. Marquad. de jur. mercat. lib. 3. cap. 9. numer. 53. Stracc. eodem tract. par. 2. numer. 65. An- sالد. discurs. 51. numer. 3. Rota coram Dunozet. sen. decis. 222. num. primo, & coram Cerro decis. 898. numer. 5.

Nec turbavit ponderatio, quòd litteræ potue- rint ad Nundinas mitti per alios Mercatores juxta facultatem à Bacellio originario Credito- re reservatam, quòdque Creditores valeant, & quandoque soleant nudum, & simplex capitale transmittere absque accessione ab antecedenti- bus Nundinis producta. Quippè occurrebat responso, quòd probatio per possibile vel- uti incerta, & æquivoca, nec à longè attingit

F 2 gradum

gradum concludentis illius verificationis super transmissione spatiorum, quæ ad reddendum licitum cursu utrarum exigitur, *Rota post Zacch. de oblig. Cameral. decis. 7. num. 11. & seqq. in recen. decis. 401. num. 41. par. 16. ac per consequens nihil iustifragatur cap. In presentia de probat. l. Neque natales Cod. de probat. Bald. conf. 420. in 2. versio. Multo minus. lib. 4. Menoch. conf. 145. nu. 2. conf. 1259. n. 16. Gratian. discept. for. cap. 88. n. 17. Rota coram Cavaler. decis. 125. n. 7. decis. 570. n. 8. decis. 27. nu. 11. par. 8. decis. 520. nu. 69. par. 14. decis. 53. nu. 13. & decis. 544. nu. 17. par. 18. recen.*

Maximè quia respectu aliorum Debitorum asuevit Marchio Nuñez Cambia exercere per seipsum, aut suos Socios, & Ministros, & cum augmento Cambiorum, quod singulæ Nupdiæ ferebant; unde optima ratione subsumebatur, quod si spatia fuissent transmissa pro Cambio Fratrum de Buffiis in libris Nummulariæ, tum legerentur adnotatæ partitæ transmissionis, tum augmentum crediti nascens ex gyro pecuniarum fuisset inscriptum juxta stylum, & praxim Ministrorum ejusdem Banci, à qua recessisse, quoad solos Buffios, pro solis annis 1684. ad 1704. nulla urgente diversitatis causa, Dominis tamquam inverisimile suaderi non valuit, ad tradita per Rotam decis. 434. num. 22. & decis. 443. n. 13. parte 13. decis. 148. n. 10. parte 16. decis. 19. n. 2. par. 9. recen.

Minusque juri consona existimata fuit ultima Actoris præsentio, quod exceptio non factæ transmissionis spatiorum admittenda non sit ad effectum retardandi restitutionem fortis, cujus creditum nititur Apecha privilegio Cameralis obligationis, & viæ executivæ munita. Namque reus ad ostendendum solvisse longè ultra fortem Cambii, habet intentionem fundatam in schedulis, seu quietantiis propria manu Creditoris firmatis, quibus confessionibus nulla major dari potest probatio *l. Cum te, ibique Doctores Cod. de probat. l. Generaliter Cod. de non numerat. pecun. Surd. decis. 10. num. 12. decis. 161. nu. 26. coram Cerro decis. 176. nu. 3. decis. 891. num. 5. decis. 36. num. 4. parte 10. Rota decis. 401. n. 20. & seq. parte 16. recen.* Dumque Creditor replicat illas loqui de fructibus, non de sorte, sit illic de intentione replicantis ostendere, quod Cambia, ut parerent fructus, essent realia; eaque propterea probare tenetur *l. Quingenta versio. Nam si creditum, & l. In exceptionibus ff. de probat. Bald. in l. Frustra in prima oppositioe Cod. eodem Angel. Instit. de replic. in princ. num. 10. ad fin. Afm. in prax. §. 16. cap. 8. num. 3. Rota decis. 69. n. 31. ad 35. parte 9. decis. 401. num. 29. parte 16. recen. coram Bich. decis. 130. nu. 15. & 16. usque ad ut transiverit apud nostrates in regulam, quod exceptio utrarum incontinenti probata impedit processum executivum, & quemcumque adimat effectum obligationis Cameralis *Jaf. in l. 1. num. 21. & seqq. Cod. de jur. & fact. ignor. Matth. Coler. de Process. execut. par. 4. cap. 2. nu. 22. Matth. Berlich. conclus. 97. num. 96. parte prima, Casov. decis. 123. numer. 3. Zacch. de oblig. Cameral. quest. 31. nu. 15. Rot. post Fenzon. ad Stat. Urb. decis. 91. §. Ratio secundi dicti ad ornat. Card. de Luc. de usur. decis. 7. nu. 10. Et ita utraque &c.**

R. P. D. LANCETTA DECANO.

FANEN. IMMISSIONIS.

Lunæ 21. Julii 1723.

ARGUMENTUM.

Ususfructus cessus domino proprietatis fideicommissio gravato quatenus extinguatur, ita ut transeat ad fideicommissarios, non autem ad hæredes ejusdem proprietarii.

SUMMARIUM.

- 1 Ususfructus constitutio probanda est ex pacto vel testamento.
- 2 Ususfructus extinguitur per cessionem proprietario factam.
- 3 Ususfructus renunciatio ex quibus dicatur abdicativa.
- 4 Ususfructum habere simul & ejus pretium non licet.
- 5 Ususfructus consolidatio cum proprietate non aliter fit quàm per ejus extinctionem.
- 6 Cessio translativa mutat dumtaxat personam possessoris, sed jus non extinguunt.
- 7 Regressus ad ususfructum excluditur per reservationem certæ rei in casum obitus renunciatarii.
- 8 Ususfructus cessus ei, qui est dominus proprietatis revocabiliter non extinguuntur, sed transit ad hæredes proprietarii.
- 9 Contrarium.
- 10 Quomodo sit intelligenda conclusio.
- 11 Cessio facta ei, qui sublato cedentis jure, jure proprio totum consequitur, sive abdicativa, sive translativa verbis fiat, extinguunt jus cedentis.
- 12 Ususfructuarius cedendo extraneo ususfructum nihil agit.
- 13 Cessio ususfructus censetur facta proprietario uti tali, non uti extraneo.
- 14 Actus presumitur factus eo modo quo valere potest.
- 15 Ususfructus consolidatio cum proprietate non fit, nisi in una eademque persona simul conveniant.
- 16 Persona propria est distincta à persona hæredis in sensu juris.
- 17 Hæreditati acquiritur id quod provenit à transactione inita super rebus hæreditariis.
- 18 Maximè si pretium solutum fuit ex rebus hæreditariis.
- 19 Ususfructum semel extinctum non potest gravatus in præjudicium fideicommissarii denuò constituere.

DECISIO XXVIII.

Michael Angelus Borgogellus unicum, quam habebat Filiam nomine Claricem hæredem moriens in proprietate sibi scripsit: Et si in pupillari ætate, vel sine Filiis decederet, substituit illi Filios Comitissæ Camillæ ejus Sororis, verùm si & isti quoque, aut Superflites non essent, aut deficerent, vocavit ad successionem, di tutta la sua robba, tres Sorores jam tunc nuptas, & illius, quæ præmoreretur Filios Superflites:

tés: Cum autem Maria Clara Malvezia Testatoris Uxor tunc annos etlet non amplius, quam duos supra viginti nata, & ut homines in more habent, cuperet Michael ne cum alio postea nuberet, ultrà restitutionem dotis in sc. 3. mil. & nuptias apparatus in sc. 600. eidem præterea legavit alia sc. 2. mil. vestes, Jocalia, & reliquum mundum muliebrem cum Jure viduilis, & sub expressa viduitatis conditione puram quoque, & liberam in usufructu hæredem eandem instituit.

Testatore postmodum defuncto, plures inter Viduam, & Alexandrum Castracanum Pupillæ Tutorem Testamentum datum ortæ fuerunt controversiæ, quibus componendis cum impares fuissent duo Advocati in arbitros, hinc inde electi; Operâ tandem, & Consilio clar. me. Cardinalis del Verme, tunc Episcopi Fanensis, inita fuit inter Partes solemnis transactio in qua Maria Clara Vidua accepto sibi tulit omne, & totum id, quod sibi ex quacumque causa deberet hæreditas Borgogella, & præsertim ususfructum à prædefuncto Viro sibi relictum, quem ideo in eodem transactionis actu in amplissima forma remisit, ac renunciavit, & consolidatum esse voluit cum proprietate. Contrâ verò Alexander Tutor Pupillæ nomine ultrâ nomen quoddam, & argenti in usum muliebrem elaborati uncias 124. quas tunc Mariæ Claræ consignavit, constituit insuper sese intrâ certum tempus, & sub certo modo eidem soluturum sc. 9. m. in integram, & finalem satisfactionem omnium Jurium illi competentium absque ulla reservatione proprietatis, aut regressus etiam pro casu, quo Vidua contra Testatoris præceptum secundo nuberet, sicuti latius habetur ex Instrumento d. transactionis.

Post res ita compositas, datamque hinc inde transactioni plenam executionem, inverso naturæ ordine Clarix Filia sine liberis decessit, Maria Clara Matre adhuc superstiti. Hinc autem alia duæ ortæ fuerunt controversiæ inter Comitissam Franciscam Ferrettam, nuptam Bajulivo Marcolino, hæredemque in Testamento Michaelis Clarici substitutam, & memoratam Mariam Claram defunctæ Matrem, atque ab ea hæredem ex asse scriptam; altera videlicet super usufructu, & altera super detractione Trebellianicæ. Quas quidem controversias cum partes post quoddam Judicatum ab A. C. in possessorio latum, mutuo consensu in hoc Sac. Auditorium compromiserint duabus decisionibus definiendas, hodiè idcirco consului Dominos super geminis Dubiis, altero videlicet respiciente Trebellianicam, de quo in contemporanea Decisione, & altero super usufructu sub opportuna formula; An scilicet, & quomodo sit danda Immissio, cui responsum fuit affirmativè juxta modum nimirum tam in proprietate, quàm in usufructu.

Et sanè respectu proprietatis nulla erat inter Partes dissensio: Utrique enim conveniebant eam esse restituendam Comitissæ Franciscæ dum per obitum Claricis absque Filiis factus fuerat casus, in quem Michael illi per fideicommissum substituerat filios Camillæ ejus Sororis: Tota igitur difficultas reducebatur ad ususfructum, sed & iste quoque visus fuit diverso Jure censeri non posse, nam, & naturaliter cum proprietate conjunctus est, & ab ea separari non debet; nisi quis concludenter probaverit sibi ex pacto, vel Testamento Jus esse alienis rebus utendi, fruendi *l. fundus 4. ff. si usufr. pet. Alograd. conf. 104. Decisiones noviss. ad Castellum de Alimentis.*

n. 30. lib. 2. Posth. de manut. observ. 16. nu. 42. Rot. coram Merlin. dec. 642. num. 1. & in recen. decis. 120. num. 1. & 2. & decis. 315. num. 1. & seqq. par. 9. & dec. 345. nu. 2. & 3. par. 19.

Non bene autem Maria Clara Jus istud sibi asserere videbatur ex Testamento Michaelis; Quamvis enim in eo ususfructus hæreditatis à proprietate abstractus, Jure institutionis eidem relictus fuerit. Quia tamen postea ipsi placuit ex causa transactionis eundem ususfructum remittere, ac Proprietariæ cedere, per hanc utique cessionem, & remissionem Jus omne ususfructus, haud secus peremptum, subiatumque fuit quam si morte fructuariæ finitum, & cum proprietate consolidatum fuisset. Item finitur Inst. de usufr. Carvall. de utraque Quart. part. 4. cap. 1. num. 157. & 159. Gallerat. de renunc. cent. 1. renunc. 55. num. 1. & 2. Castill. de usufr. cap. 69. nu. 1. & seqq. Bellon. de Jur. accr. cap. 10. qu. 28. num. 67. & seq. & num. 106. & seq.

Neque verò sustineri ullo pacto poterat, vel quod prædicta cessio, ac renunciatio tamquam à Matre exposita intuitu dumtaxat, & contemplatione filiarum, fuerit merè, ac simpliciter personalis, quodque propterea per ejus prædecessum resoluta peræquè remanserit, ac facta non fuisset, vel saltem, quod Jus usufructus per eam cessionem translatum in Filiam, redire exinde ad ipsam Matrem debuerit ex nova causa, & tamquam ipsius filiarum universalem hæredem atque ab ea super hoc ipso Jure nominatim reintegratam.

Adjungentes namque Domini eorum animum ad verba, quibus eadem cessio concepta fuit pro constanti habuerunt non ea contemplatione cessionem fuisse à Matre expositam, ut præmoriens Filia usufructus ad ipsam rediret, aut in ejusdem Filiarum hæredes transmitteretur, sed solum id actum inter partes fuisse, ut usufructus à Matre abdicatus ita cum proprietate consolidaretur, ut cum eadem proprietate perpetuo transiret in eos ad quos hæreditas Michaelis Angeli jure fideicommissi perventura foret; Et verba sanè, à quorum sensu nunquam est temerè recedendum cum de Contrahentium voluntate queritur respectu Mariæ Claræ cedentis ita se habent, *cede, rinuncia &c. il legato dell' usufrutto annuo promettendo, ed obligandosi non pretenderlo, ne domandarlo mai più in alcun tempo, ne in tutto, ne in parte il d. usufrutto, mà lasciarlo intieramente libero, & in tutto, e consolidato colla proprietà à favore di sua Figlia &c. non riservandosi per se sopra il d. usufrutto ne in vigore di d. Testamento, ne per qualunque altra causa Jus, & ragione alcuna. Et paulò infra promettendo dd. legati, nè alcuno di essi domandar mai più in Giudizio, nè fuori sotto qualsivoglia pretesto &c. e non valersi rispetto ad essi legati, ne veruno di essi di d. Testamento come se à suo favore non fosse stato fatto, respectu verò Tutoris pro Pupilla cum Vidua Contrahentis in hunc modum expressa fuerunt, item il medemo Sig. Alessandro &c. promette, e s'obliga in conto, e saldo e final pagamento di tutte le predette ragioni &c. per l'usufrutto legato &c. dare alla medema Sig. Maria Chiara &c. sc. 9. mil.*

Si igitur Maria Clara, ut verba mox transcripta ad litteram præ se ferunt, ita cessit, ac remisit ususfructum sibi legatum, ut etiam sponderit, ac se obligaverit nullo amplius tempore illud fore in Judicio, vel extra petituram, Si nullum super eo Jus, neque ex Defuncti viri Testamento, neque ex alia quacumque Causa etiam necessario exprimenda sibi reservavit; Imò